



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


**Die XIV. Octobris. In Festo Sancti Callisti Papae et  
Martyris**


**Paderbornae, ca. 1808**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60446)

IUV  
1510  
-A





T

A

P

re

et

av

O

m

d

d

p

DIE XIV. OCTOBRIS.  
IN FESTO  
SANCTI CALLISTI  
Papae et Martyris.

Duplex minus.

---

*In secundo Nocturno.*

*Lectio IV.*

**C**allistus Romanus praefuit Ecclesiae Antonino Heliogabalo Imperatore. Constituit quatuor anni Tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur. Aedificavit Basilicam sanctae Mariae trans Tiberim: et in via Appia vetus coemeterium ampliavit, in quo multi Sacerdotes et Martyres sepulti sunt: unde ab eo Callisti coemeterium appellatur.

**R.** Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et à seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem aeternam.

**V.** Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

*Lectio*

*Lectio V.*

Ejusdem pietatis fuit, quod beati Calepodii Presbyteri et Martyris corpus jactatum in Tiberim conquiri diligenter curavit, et inventum honorifice sepelivit. Palmatium consulari, Simplicium senatoria dignitate illustres, Felicem et Blandam, qui deinde omnes martyrium subiere, cum Baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi Privatum militem ulceribus plenum admirabiliter sanitati restitutum Christo adjunxit: pro quo idem, recens adhuc à fide suscepta, plumbatis usque ad mortem caesus occubuit.

*R.* Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

*V.* Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

*Lectio VI.*

Sedit Callistus annos quinq. mensem unum dies duodecim. Ordinationibus quinque mense Decembri creavit Presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Epis-

Episcopus octo. Post longam famem, crebrasque verberationes praeceps jactus in puteum, atque ita martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore: illatus est in coemeterium Calepodii via Aurelia, tertio ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam sanctae Mariae trans Tiberim, ab ipso aedificatam, delatum, sub Ara majori, maxima veneratione colitur.

**R.** Stola jucunditatis induit eum Dominus: \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

**V.** Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

*In tertio Nocturno.*

Lectiones ut in Breviario dicta die, cum Oratione ibi propria.

*Ex Decr. (Urbis et Orbis) SS. D. N. Pii Papae VII, 2. Sept. 1808.*

*Cum permissu Superiorum.*


---


Paderbornae, typis et sumpt. J. W. Junfermann.

S

P

C  
T  
T






Buchbinderei

J. Blasberg

Meisterbetrieb

62331 / 45739

28. NOV. 2017



UNIVERSITÄT SEQUENTUM FESTORUM

P  
06

KONVOLUT SEQUENTIUM FESTORUM